

No. 425. 1337. 20. Nov.

Adelheid von Schauenforst und deren Söhne Hermann, Richard und Heinrich Burggrafen von Golsen verkaufen an den B. Withigo Geldzinsen zu Mügeln.

Nos Adilheydis de Schowinwost, Hermannus, Richardus et Henricus fratres burgrauii de Golsin scire cupimus universos praesentium notitiam habituros, quod de communi consilio et consensu tres marcas annui census in opido Mogelin vendidimus venerabili in Christo patri ac domino nostro domino Wythegoni Misnensis ecclesiae episcopo pro quindecim sexagenis grossorum Pragensium, quos idem dominus noster et pater iam pagavit, quem censum resignavimus et praesentibus resignamus praesentes, absentes vero resignare promittimus praesentibus, quandocumque ad praesentiam dicti domini nostri veniemus. Insuper nos Berengarius de Schowinwost, Adilheydis conthoralis sua praedicta, nosque Hermannus, Richardus et Henricus fratres praenotati de Golsin promittimus in solidum ac coniuncta manu praedicto domino nostro episcopo et capitulo suo, quod mater nostra Adilheydis saepedicta omni iuri ac impetitioni, quae sibi posset in futurum competere, cum suum fuerit dotalitium, praesentibus renuntiat, ita quod ammodo nullum nobis nec matri nostrae ius competat repetendi vel impetendi bona supradicta, sed cum omnibus pertinentiis suis in antea ad ipsum dominum nostrum et ad ecclesiam suam Misnensem pertinere debebunt. In cuius rei testimonium sub sigillis nostris dedimus praesens scriptum. Datum Mogelin anno domini M^o.CCC^o.XXXVII^o. in crastino beatae Elyzabeth praesentibus nobili viro domino Heynrico de Coldicz, avunculo nostro, Johanne de Milticz, Johanne de Brandeyz, domino Werhero et Johanne fratribus de Limpach, Johanne de Perez plebano in Koldicz, Th. de Limpach plebano in Mogelin, Bartholomeo fratre suo, Bertoldo de Wychinberg aliisque pluribus fide dignis.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln der Burggrafen Hermann, Richard und Heinrich von Golsen, sowie Berengars von Schauenforst (ihres Stiefvaters) und seiner Gattin Adelheid an Pergamentstreifen.

No. 426. 1338. 6. März.

B. Withego II. eignet der Domkirche von ihm verkaufte Zinsen zu jährlicher Begehung des Gedächtnisses des verstorbenen Decans Thimo von Grunenrode.

Withego dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus universis Christi fidelibus praesentis et futuri temporis, ad quos praesentes pervenerint, salutem in domino sempiternam. Ad ea libenter animum impendimus promotivum, quae animarum saluti congruunt et a rationis tramite non recedunt. Hinc est, quod nos considerantes fidelia servitia et devota per quondam dominum Thymonem de Grunenrode decanum ecclesiae nostrae piae recordationis nobis et ecclesiae nostrae praedictae exhibita et alia probitatis merita, ultimae suae voluntatis executoribus, videlicet magistro Michaeli de Sumiruel canonico, Burchardo et Alberto perpetuis ecclesiae nostrae praedictae vicariis, de consilio nostri capituli et consensu, saluti animae dicti domini Thimonis, ac de remedio perpetuo providere volentibus decem et octo solidos denariorum, novem modios tritici,